



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Q[uo]d per intellectu[m] psalmi secu[n]di, hoc de Chr[ist]o nobis
annu[n]ciet Sp[irit]us ueritatis, q[ui]a p[ro]pter obedientie[m] passus sit
p[ro] peccatis n[ost]ris. s[ilicet] obedie[n]do p[at]ri ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

sed in lege dñi meditabit die ac nocte. In cathedra pestilentie non sedit, sed est uel erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Iam ergo duo opposita demonstramus consilia, quorum isti terni effectus ualde contrarij sunt. Quod fuit consilium impiorum, in quo abiit, id est, a deo recessit ille non beatus uir, ille uel uetus Adamus. Nimirum hoc, ut qui erat puluis, presumeret uelle, ut esset sicut deus. Quod contra consilium piolorum, in quo non abiit, id est, a deo non recessit iste beatus uir, iste nouus Adamus. Nimirum, ut qui natura erat deus, in puluerem nostrum descendere dignaretur. Illud fuit consilium spiritus diaboli: istud autem consilium spiritus dei. Inde oppositiones istarum, quas diximus, ternarum sunt: quia ille secundum consilium illud abiit, & istius uoluntas secundum consilium istud fuit in lege domini: immo & sicut Apostolus dicit sub lege factus est, cum esset dominus legis. Ille in uia peccatorum stetit, malam quippe cogitationem tantam ambitionis, opere demonstrauit: iste in lege domini die ac nocte meditatus est, ut quod figurabatur per legales ceremonias, uerbi gratia, agni & uituli, ceterorumque hominum, in ueritate sue passionis impletet. Ille in cathedra pestilentie sedit, id est, pestilentiam mortis utriusque, scilicet anime & corporis, posteris suis hereditariam dereliquit: iste autem ut lignum fructiferum hunc fructum in tempore suo dedit, ut comedentes carnem & sanguinem eius, ab illius cibi uetiti reatu simus liberati.

Gene. 3.

Gal. 4.

Iohan. 6.

¶ Quod per intellectum Psalmi secundi, hoc de Christo nobis annunciet spiritus ueritatis, quia propter obedientiam passus sit pro peccatis nostris, scilicet obediendo patri dicenti: Postula a me, nimirum moriendo. Hoc enim fuit postulare, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terre.

Caput .XI.



Vare ergo fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Dixit enim quodam loco Iudaeis, & quod illis dixit omnibus & gentibus & populis dixit & dicit. Quis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico, quare non creditis mihi? Quid aliud sibi uult percunctatio ista. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Iccirco taliter hunc psalmum secundum primo uel precedenti coniungimus: quia iuxta propositum, & hominem sine peccato fuisse conceptum uel natum atque conuersatum Christum dei filium, in illo primo agnoscimus, & in isto secundo causam cur passus fuerit, quam gentes & populi meditates inania non cognouerunt expressam intelligimus. ¶ Ait enim: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre. Audito uerbo quod dixit, postula a me, modum quoque siue qualitatem postulationis debemus nosse. Quomodo nisi moriendo postulauit? Humilitas proculdubio sacrosanctae eius passionis postulatio fuit, sacrificium fuit, praeter quod aliud holocaustum & pro peccato deus noluisset. Est igitur sensus. Iccirco ego beatus uir, qui morti nihil debui (quia peccatum non feci) mortis debitum solui, iccirco quando fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, quando asciterunt reges terrae, & principes conuenerunt in unum, aduersus dominum & aduersus me Christum eius: Iccirco (inquam) tacui, semper filii, patiens fui, qui poteram usquequaque dicere, quod semel dixi, ego sum, & abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, quia dominus pater dixit ad me: Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre. ¶ Ad hanc patris dictionem, cum multa consonent, illud quoque pertinet quod Esaias inter cetera dixit. Si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longaeuū, & uoluntas domini in manu eius dirigetur. Unde autem mors eius tanti esset aut tantum ualeret, nisi idem ipse, qui homo in seculo natus est, deus ante secula existeret? Propterea dicitur pater: Postula a me, praemisit, filius meus es tu, ego hodie genui te. Ceterorum, quae sequuntur usque in finem Psalmi, summa haec est, quam dixit, & ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me. Item dixit: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Potestas utique iudiciaria a dextris & a sinistris, quae designatur, hoc breui uersiculo: Reges eos in uirga ferrea, tanquam uas figuli confringes eos.

Psalm. 2.

Iohan. 8.

Christus moriendo postulat a patre gentes hereditatem suam
Psalm. 29

Iohan. 18.

Esa. 53.

Iohan. 18.

Mat. 28.

Psalm. 2.

¶ Quod per intellectum Psalmi tertij, hoc de Christo nobis annunciet spiritus ueritatis, quia resurrexit, & in caelum ascendit, & hoc esse quod dicit: Ego dormiui

G. m. i. i.